

domus donata ad vitam ipsius donantis, seu renunciantis, quia cum talia onera rectè, & commodè adimpleri potuissent ex fructibus longè transcendentibus dictam summam sc. 78, 75. nullo pacto renunciatio judicari potest onerosa, dum onus non respicit capitale, sed fructus donatos, illudque non fuit perpetuum, sed vitalitium: Unde cessante hoc onere temporali bona remanebant libera, quod non est parum, se magnum lucrum optimè *Card. de Luca de donat. disc. 57. num. 4. Rot. decis. 488. nu. 7. par. 1. divers. & coram Seraphin. decis. 416. n. 20. 28. & in Meliten. transactionis 28. Februarii 1684. §. Tertio coram bon. mem. Flores.*

13 Aliàs semper esset in potestate parentum onerosas emittere donationes, & filios in eorum legitima defraudare; Quia nimia facilitate omnia bona donare possent, & obligare donatarios ad sibi præstandas annualitates, vel intra fructus bonorum donatorum, vel etiam illos absorbentes, dictasque annualitates denominare onera, & obligationes. Quo circa ad hujusmodi fraudes evitandas, examinanda est quantitas fructuum bonorum donatorum, & quatenus illi sufficerent ad præstationes annuas, & quidem temporales, donatio reputanda erit lucrativa ad instar donationum factarum cum reservatione ususfructus, quæ reputantur simpliciter lucrativæ cum nihil possidet de proprio donatarius *Mans. cons. 7. n. 31. Andr. cons. 155. num. 13. 14.*

14 Multoque minus onerosam efficere potuit renunciacionem pactum sustinendi lites, quibus obnoxia reperiebantur bona renunciata, nam hujusmodi conventio famulatur naturam, & indolem donationum, quæ est, ut in Donatarium transferat omnia jura tam activa, quam passiva rebus donatis infixa, taliter, ut etiam si nihil de tali juri translatione diceretur, adhuc tacite in ipso donationis instrumento conventa censetur *Merl. de pign. lib. 4. quest. 143. nu. 3. & post eundem decis. 98. num. 5. & coram Duran. decis. 398. num. 2. & dec. 101. num. 19. 20. par. 9. rec.*

15 Nec sanè abs. lites, quibus bona donata subiacebant, erant tales, quæ potuissent largitionem exinanire, eamque vacuum reddere. Siquidem altera ex illis consistebat in scut. 18. ut deprehenditur ex *decis. 140. par. 17. rec.* ubi propterea ad rem S. Rota prolulit cum Vate (*vix Priamus tanti totaque Troia fuit*) altera verò respiciebat quidem majorem partem bonorum; Nam mortuo Julio Valerius instruxerat judicium contra matrem super pluribus corporibus hæreditariis, & non solum manutentionem, sed etiam immisionem obtinuerat sub fundamento, quod essent emphyteutica, ut ex *decis. 649. & 671. coram Card. Cerro*: Sed ubi etiam hæc præsentio fuisset in omnibus subsistens, adhuc constat, quod dempto valore bonorum sub lite existentium remanebant libera sc. 1400. circiter. Undè donatarius reportabat hoc lucrum, quod sufficit, cum non quævis causa onerosa faciat, ut non sit locus legitimæ, sed illa solummodo, quæ est mere onerosa, non autem ubi adeest lucrum admixtum, quo casu dicitur causa quasi lucrativa ex *16 congest. in puncto per Rocc. disp. 14. n. 23. cum seqq.*

Fortius, quia lis pendebat ab inspectione investiturarum, ex quibus aperte constabat, quod non omnia, & integra bona erant emphyteutica, & sic in parte erat certa spes Victoris, prout docuit eventus, dum juxta folium inter partes

concordatum libera remanserunt Donatario ferè sc. 6000., ut in proposito notavit *Rot. dicta decis. 488. num. 14. & decis. 416. num. 24. coram Seraph.*

17 Quod ipecat ad sc. 500. data per Elisabetham Helenæ filiam pro augmento dotis DD. convenerunt cum resolutis in decisione præterita §. *Constituto ex his*, quod scilicet illa sint imputanda in legitimam ipsius Helenæ, quia Mater censetur donasse ex materna pietate, & impulsu naturæ ad faciendam meliorem conditionem filiarum, & non ex simplici liberalitate juxta *Text. in l. quoniam novella C. de inoff. testam. Card. de dot. disc. 98. n. 40.* ubi respondet contrariis. Reverserunt tamen in ea parte, in qua dictum fuit hanc summam non esse conferendam, nam eo ipso quod dicta donatio non fuit gratuita conferri debet, ut in puncto respondit *Rot. in Auximana Donationis 18. Junii 1668. §. Non obstat cum seqq. coram bo. me. Bevilacqua*, & est de regula, quod ea, quæ imputantur, conferuntur per *Text. in l. illud sine ratione 20. §. Hæ autem regula C. de colat Mangil. de imput. quest. 23. n. 3.* idemque, & ex eisdem rationibus responsum hodiè fuit quoad alimenta præstita per Elisabetham Helenæ, ejusque viro, quod nempe sint imputanda in legitimam Helenæ, & conferenda, maxime, quia ipsa Elisabetha mandavit, ut imputentur in eandem legitimam, ut notavit *Rot. in dicta Auximana §. Hujusmodi.*

18 Prout etiam reverserunt ad decis. quoad partitam medietatis census sc. 1000. etenim ex noviter deductis apparuit insubsistens motivum, cum quo processit præterita decisio, quod scilicet dicta partita sit eadem, cum aliis tribus constantibus summam scut. 500. data Helenæ pro suæ dotis augmento, nam ex Instrumento dato in hodierno *Summario numer. 3.* patuit quod ista sc. 500. fuerunt assignata pro rata scut. 200. in contanti, pro sc. 100. in jocalibus, & pro residuo in censu, qui non potest esse idem, ac ille sc. 1000. in sorte impositus favore Belmontis, nam istum acquisivit Elisabetha usque de anno 1661. & dicta rata scut. 200. residualis apparet tradita anno 1656. undè de hoc anno non poterat dare rem, quam non habebat, quapropter hæreditatis Elisabethæ ad effectum, de quo agitur, impinguari quoque debet ex medietate d. census.

19 Quoad alias partitas Domini processerunt cum decisione præterita optimè quoad il as subsistente. Et ita utraque &c.

R. P. D. CERRO.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE OSSOLIS.

Veneris 21. Junii 1725.

ARGUMENTUM.

Quomodo Vir in uxorem conferre valeat arbitrium distribuendi suam hæreditatem inter filios, sive pro æquis partibus, sive per constitutionem majoratus, ita ut non substantia voluntatis, sed declaratio commissæ dicatur; plene agitur in hac Decisione.

SUMMA-

SUMMARIUM.

- 1 Executoris factum non sibi sed Testatori tribuitur.
- 2 Hæredis institutio, & destitutio ab alieno arbitrio pendere non debet.
- 3 Hæreditatis distributio inter certas personas alieno arbitrio committi potest, quia substantiam dispositionis non lædit; secus verò si inter incertas personas de incertis tribueretur, & num. 5.
- 4 Electione vel distributione non facta succedunt omnes pro virili.
- 5 Dicitio tamen est limitativa.
- 6 Hæreditatis distributio alieno arbitrio commissæ, pendere dicitur à voluntate Commissarii, ita ut ii, qui nominandi sunt, habeant jus conditionale respectu quotæ.
- 7 Hæreditatis distributio quomodo arbitrio Commissarii committi valeat.
- 8 Institutionis substantia tunc in arbitrium tertii collata dicitur, cum nulla certa persona est designata.
- 9 Item si institutio personæ designatæ remissa fuit in liberam voluntatem tertii.
- 10 Rursus si hæreditaria quotæ assignatio omnino reposita est in arbitrium Commissarii.
- 11 Facultas meliorandi unum ex filiis hæreditibus institutis non est irrita, & num. seq.
- 12 Familias per divitias conservari publicè interest.
- 13 Melioratio unius ex filiis, quæ matrimonio causam dedit, non est facile irritanda.

DECISIO VI.

UTendo Marchionissa Portia Uxor Marchionis Jacobi de Ossolis eo amplissimo arbitrio, quod in Testamento illi vir contulerat, nimirum inter communes filios ex æquo hæredes scriptos utiliorem conservationi Domus emittendi dispositionem, ibi: *Di poter disporre per via di contratto, e di ultima volontà, e tante volte, quante li parerà, e piacerà anche con variare, e rivariare di parte, di tutta la mia eredità con intestarla, e trasferirla più ad uno, che ad un altro de sudetti miei figliuoli, e porvi ancora quelli pesi, cautele, e vincoli, che potesse esserli più necessari, e proficui per la conservazione, e vantaggio della sudetta mia Casa Ossoli, e particolarmente nel caso di stabilire matrimonio vantaggioso, e d'impedire nella Casa più matrimonii secondo il desiderio di detto Signor Angelo mio Padre*: anno 1713. per actum inter vivos devenit ad erectionem Primogenituræ super omnibus Bonis Jacobi Viri, ad quam vocavit Marchionem Antonium filium Primogenitum, ejusque filios Primogenitos in infinitum, atque in horum defectum sub eodem ordine invitavit primò Ferdinandum, deinde Septimum, eorumque lineam masculinam feminis semper exclusis, & non prius admittis, quam post extinctionem lineæ masculinæ dictorum trium filiorum. Ut autem ista Primogenitura plenior fortiretur effectum iisdem filiis, adhibita cautela Soccini prohibuit de tractionem legitimæ in Bonis Patris, gravavitque Primogenitum onere subministrandi aliis duobus fratribus annuatim præstationem scut. 400. pro quolibet, necnon mobilia congruentia eorum statui, & post hujusmodi dispositionem à vivis erepta prædicta Portia, prævia interpellatione ipsis facta à Primogenito, illam per publicum Instrumentum acceptavit, tùm Ferdinandus in minorili ætate constitutus, tùm Septimus adhuc impubes, mediante Persona ejus Tutoris, & successivè mobilia, & annuas præstationes receperunt.

At verò idem Ferdinandus major factus, cum nullius obstaculi sibi futuram fore contenderet præfatam acceptationem, & dirigi curasset commissio-

Decisiones noviss. ad Castellum de Alim.

nem specialem Sanctissimi A.C. de voto suorum Locum-tenentium, assumpta igitur coram eo causæ cognitione, primò resolutum fuit, non obstante acceptatione dispositionis maternæ, utpotè quia nullitate laboraret, debitam esse Ferdinando legitimam in Bonis paternis, eamque in femisse esse regulandam, ob concursum aliorum deorum filiorum, Philippi, & Sigismundi, qui postea obierunt, necnon etiam eidem Ferdinando præstandam esse portionem legitimæ Philippi ab intestato defuncti, idque judicium ultrò acceptavit Marchio Antonius solvendo Ferdinando legitimam propriam, necnon portionem prædictam ex successione Philippi eidem delatam. Secundò autem post plures reiteratum examen decreta sunt favore Ferdinandi præstatio etiam portionis legitimæ Sigismundi in pupillari ætate defuncti, sub declaratione quod intelligeretur obnoxia vinculo fideicommissi Paterni, de quo articulo agendum erit in contemporanea Decisione.

Delegata itaque Sac. Auditorio appellacionis utrimque interpositæ cognitione, ex altera speciali commissione Sanctissimi injungente, ut procedatur videntibus omnibus, ac prævis duabus Decisionibus, ultra quæstionem super portione legitimæ Sigismundi, aggredi etiam oportuit eam concernentem validitatem erectionis Primogenituræ, circa quam A.C. nihil pronunciarat, unde proposito per me dubio: *An Primogenitura sustineatur in casu*; rescripserunt Domini, *Primogenituram sustineri.*

Quemadmodum enim dubitari non poterat, quin in Testamento Jacobi scripti fuerint hæredes proprietarii omnes ejus filii tam nati, quam nascituri, cum reciproca substitutione filiorum, & descendentium usque ad tertiam generationem, & cum omnimoda relatione ad Testamentum Joannis Angeli, Patris dicti Jacobi, Ita non minus certum erat titulum hæreditarium in filios prædictos à Patre collatum fuisse, sub ea expressa lege, & conditione, ut Portia Uxor, & respectivè illorum Mater libera, totali, & amplissima facultate potiretur, per actum inter vivos, vel ultimæ voluntatis, modo sibi melius viso, & congruentiori conservationi Domus Ossolæ transferendi hæreditatem vel in totum, vel in partem magis in unum, quam in alterum ex filiis, ac propterea, cum Portia istiusmodi extranei facultate providè usa fuerit, sequendo ordinem naturæ, id est, constituendo Primogenituram in Marchione Antonio inter fratres natu majore, superaddita illi substitutione aliorum fratrum, & subsidaria dumtaxat vocatione fœminarum defectis masculis, absolutum est, hanc dispositionem habendam esse, ac si fuerit ab ipsomet Jacobo ordinata, juxta illud juris principium, quo edocemur factum Executoris, & Commissarii non ipsi, sed Testatori committenti attribui, *Fisar. de substit. quest. 511. per tot. Spin. de Testam. glos. 5. tit. de commiss. ad facien. Testam. n. 32. Mer. de majorat. part. 1. quest. 48. n. 210. Rot. decis. 1. n. 4. coram Ubaldo, decis. 970. nu. 17. coram Emer. jun. & decis. 333. num. 6. vers. Qui autem part. 16.*

Posita autem certitudine voluntatis Jacobi, ut Uxori integrum foret partem, vel totam hæreditatem in unum ex filiis conferre, nihil sanè proponi visum fuit, quo potestas intercluderetur; negari etenim non poterat, quin Testator validè potuisset instituire unum ex filiis eligendum, vel nominandum ab Uxore, nec talis institutio omnimodè pendere diceretur ab alieno arbitrio, ita ut locum habere posset censura *Textus in l. Illa institutio ff. de hered. instit. interdicens ne possit à Testatore arbitrio Tertii institutio, vel destitutio hæredis committi*; Non difformi propterea ratione potuit Jacobus instituire omnes



omnes filios, non simpliciter, sed sub conditione, ut talis institutio coarctari, qualificari, vel etiam adimi valeret, non quidem favore diversarum personarum, quod saperet veram destitutionem, sed inter eosdem filios, hoc namque percutere non videtur substantiam voluntatis, seu dispositionis, sed potius illius executionem, nempe certam, & qualificatam Bonorum distributionem intra genus personarum in institutione comprehensum, quæ distributio absque læsione substantiæ ejusdem dispositionis in Tertium conferri potest, ad Text. in l. Cum filius §. Pater ff. de legat. 2. Molin. de Primogen. par. 1. cap. 27. nu. 6. Carol. Anton. de Luc. de confiden. hæred. cap. 17. nu. 4. Saminat. controv. 119, à nu. 14. & seqq. In utroque enim casu, tum electionis unius ex filiis in hæredem commissæ Uxori, tum prælationis alterius illorum per viam Primogenituræ; vel alio simili modo, quoties fuerit jam scripti hæredes, militat eadem ratio, ut Uxor, cui commissæ sit facultas vel eligendi, vel certo modo distribuendi Bona ad id devenire dicatur ex voluntate Committentis, ne substantialiter disponere, sed tantummodo quoad qualitatem accidentalem sibi commissam, adeo ut non facta electione, vel declaratione locum habeat coequalis institutio omnium filiorum, sive ea expressè adjecta fuerit, sive pariter ubi institutio loqueretur de uno ex filiis ab uxore eligendo, juxta animadversam per Ramon. conf. 76. nu. 3. & sequen. ibique Balduc. n. 6. & seqq. Carp. de Executor. lib. 2. cap. 17. n. 6. & seqq. Gomez. ad leg. Taur. leg. 81. sub n. 4. vers. Quod possit Pater, Guier. pract. quæst. lib. 2. cap. 42. n. 1. & seqq. Castill. controv. Jur. lib. 2. cap. 6. nu. 63. & seqq. Carol. Anton. de Luc. de hæred. confiden. cap. 175. à nu. 3. & per tot. ob eam profectò rationem, quod Testatori interdictum non sit sibi in hæredem adsciscere personam à Tertio nominandam, transferendo in alienum arbitrium, si non institutionem hæredis, saltem illius electionem, dummodo facultas eligendi non sit indefinita, & generalis, sed restrictivè se habeat ad certum genus personarum, sicque complectatur incertum genus personarum, sicque complectatur incertum genus personarum, sed solam illius executionem in alterius voluntatem conferri, quod à jure nostro non improbat, secundum Textum in l. Utrum §. Cum quidam ff. de reb. dub. l. Unum & Familia §. Rogo, & l. Cum quidam ff. de legat. 2. Bald. in l. 1. n. 49. Cod. de Sacros. Eccles. Donell. com. jur. civil. lib. 8. super dicta l. Utrum ff. de reb. dub. §. 1. Bero conf. 23. n. 28. & seqq. Peregrin. de fideicom. art. 33. n. 57. Marta de success. legal. part. 4. quæst. 2. art. 4. n. 8. & seqq. Molin. de Primogen. lib. 2. cap. 4. n. 3. & seqq. Torr. de pact. futur. success. lib. 3. n. 66. & sequen. Rot. decis. 87. n. 2. & 3. coram Bich. decis. 1073. n. 4. & 5. coram Emerix jun. decis. 410. n. 6. part. 14. & dec. 386. nu. 9. & seqq. part. 19. recent.

Neque verò voluntas Jacobi conjici potest, vel minimum contraria erectioni Primogenituræ ex quo hæredes pro æquali instituerit, & ad invicem substituerit omnes ejus filios, id quod importet incompatibilitatem successionis unius tantummodo ex illis; Quoniam cum idem Testator post mox relatum institutionem, & substitutionem immediate adjecerit reservationem, & declarationem, qua uxori tributa est facultas, di poter disporre di parte, di tutta la mia Eredità con intestarla, e trasferirla più ad uno che ad un'altro di detti miei figlioli, e porvi ancora quelli pesi, cautele, e vincoli, che potesse essa stimare più necessarij, e proficui per la conservazione, e vantaggio della sudetta mia Casa

Offoli, hujusmodique reservatio concepta appareat sub illis initialibus verbis, voglio però, quæ restringunt, & limitant institutionem paulo ante expressam, ad tenorem sequentis conditionis præ se ferentis dependentiam à facto uxoris, Leg. pro hærede §. Quod si tamen ff. de acquir. hæredit. Bald. conf. 195. n. 11. & 12. lib. 2. Ramon. consil. 78. n. 8. Osafo. decis. 228. n. 16. Rot. decis. 403. nu. 12. coram Emerix jun. decis. 131. n. 4. part. 7. & dec. 328. n. 2. par. 14. Recent. Asseri proinde nequit filios absolute fuisse æqualiter institutos, dum illorum institutio per necessè dependebat à futura declaratione matri commissæ, & per consequens declaratione adhuc non expleta Jus eorumdem non erat quàm conditionale, se habens videlicet ad æqualem successionem, quatenus Mater nullatenus declararet, ad successionem verò in totum favore illius, quem mater eligeret, ad Text. in Leg. unum ex familia §. Rogo ff. de legat. 2. ibique, Castren. Leg. credere diem ff. de verb. significat. Spad. conf. 327. sub n. 9. tom. 3. Torr. de Major. part. 2. quæst. 50. n. 49.

Præterea nullo jure contenderetur istiusmodi arbitrium disponendi potius favore unius, quàm aliorum ex filiis, inane reddi, & vitari, vel ex quo importet liberam facultatem instituendi, vel destituendi, vel ratione incertitudinis quotæ, seu Bonorum. Quando enim Testator conditionaliter instituit personis certi alicujus generis alteri committit inter eas eligendi unum qualificatum hæredem, omnes ejusdem generis personæ dicuntur vocatæ certo modo, id est, dependentes à judicio Executoris, prout etiam ad ipsum procedit quando institutio se habet ad plures personas, data tamen facultate Commissario meliorandi unam ex eis per attributionem majoris quotæ bonorum, quocirca in uno, & altero ex his casibus exploratum est considerari non posse absolutam facultatem instituendi, & destituendi, nec etiam ullam incertitudinem, quoad quotam bonorum, nam quoties Executor juxta potestatem à Testatore receptam declarat; jam hæreditas defertur inter illasmet personas ab eodem contemplatas per verificationem conditionis, quam apposuerat; nullo autem per Executorem interposito arbitrio cessat ea conditio, & firma remanet æqualis institutio illarum personarum, quæ sub dicta conditione contemplatæ fuerant, & consequenter dispositio tali modo facultatem tertio impertiens nequaquam irrita evadit, ut apud Peregrin. de fideicom. art. 33. n. 57. Duran. de condit. part. 3. cap. 4. n. 24. Guier. pract. quæst. lib. 4. quæst. 42. n. 1. & seqq. Castill. controv. Jur. lib. 2. cap. 6. n. 63. de Luc. de hæred. confiden. cap. 175. n. 6. & per tot. Rot. decis. 152. nu. 8. post Torr. de pact. futur. success.

Porro auctoritates ex opposito allegatæ intelligendæ erant, vel quoties Testator nulla designata persona hæredis committit arbitrio tertii facultatem illum eligendi ex quocumque genere personarum, sive, ut Nosstrates aiunt, incertum de incertis, nam tunc jure meritoque dispositionem labefactari traditum est, utpotè quod omnimoda hæredis institutio, & substantia testamenti reposita fuerit in arbitrium tertii; juxta Textum in Leg. 9. Illa institutio ff. de hæred. instituen. Surd. conf. 380. nu. 26. Bald. in Leg. execut. 8. Cod. de execut. rei judicat. num. 4. & in Leg. Captatoria Cod. de Testam. milit. n. 2. & 7. Pecch. de testam. conjug. lib. 1. cap. 27. num. 1. & 2. Torr. de pact. futur. success. lib. 3. cap. 6. nu. 61. Rot. decis. 2000. nu. 6. coram Coccin. decis. 368. nu. 3. & decis. 465. nu. 2. part. 18. Recent. vel ubicumque à Testatore institutus quidem fuisset certus hæres, sed effectum hujusmodi institutionis

institutionis liberè, & absolute idem contulisset in arbitrium, & voluntatem Tertii, ut nempe nisi ei placuerit ille hæres nullum titulum habere posset, & eo pariter casu admittendum est dispositionem corrumpere, tamquam conditionatam in ipsa sui substantia, tamen ut succedere valeret persona ex Judicio Executoris nullum institutionis titulum ex Testamento eliciens, ut ad terminos 10 Textus in leg. Utrum §. Cum quidam ff. de reb. dub. tractat Castill. controv. lib. 3. cap. 6. sub num. 58. Peregrin. conf. 31. nu. 58. vol. 5. Galganet. de condit. & demonstrat. part. 1. cap. 5. num. 11. Marta de success. legal. parte 1. quæst. 25. artic. 10. num. 4. Palm. Nep. allegat. 369. num. 39. & 41. Rot. decis. 747. per tot. coram Seraphin. Vel demùm si Testator quantumvis nominet Personam hæredis, non explicet tamen quotam hæreditatis, aut bonorum, in qua verificari debeat ejusdem hæredis successio, idque relinquat in liberum Executoris arbitrium, nulla ei imposita necessitate nominandi, in his etenim terminis dispositio ex totali illa incertitudine se habente, si non ad personam hæredis, ad quotam bonorum irrita dici posset, dum liberum esset Executori nullum interponere arbitrium, sicque incertitudinem illam confirmare, ut apud Franc. Palm. consult. 34. num. 7. Vasques de success. lib. 2. §. 17. requisit. 27. num. 79. Cancr. var. resolut. part. 3. cap. 20. num. 91. & 95. Andreol. controv. 105. num. 12. Balducc. ad Ramon. conf. 76. nu. 9. & seqq.

Ex hac igitur congrua casuum distinctione patet, rem in hypothesi non agi in ullo ex proximè recensitis, sed potius in eo, quod scilicet Testator instituit certis personis, nempe omnibus ejus filiis concessit uxori facultatem inter illos eligendi quem maluerit, vel etiam inter eosdem unum, aut plures meliorandi, mediante collatione, sive totius hæreditatis, sive etiam partis illius, id quod à lege interdictum nequaquam dignoscitur, cum tunc arbitrium eligendi se habeat ad incertum de certis, nimirum ad unum ex iis, quos Testator peculiariter contemplatus fuit, ita quidem, ut substantia institutionis omnino tribuenda sit ejus voluntati, sola autem distributio, seu melioratio inter institutos commissæ intelligatur uxori, quæ si nullam emisisset declarationem, firma permanisset institutio omnium filiorum prout scripta fuerat in testamento, ut appositè tradit Manoch. conf. 408. nu. 28. Mans. conf. 428. num. 10. & 11. Rot. cor. Mahedan. decis. 6. de testam. erga fin. facta tali declaratione, tunc ex quo Paterna dispositio præ se ferret inter filios fideicommissum conditionale purificandum favore illius, qui fuerit ab uxore nominatus, dicitur is per fideicommissum vocatus ad portionem, quam alius Testator reliquerat in casu non factæ nominationis, ut explicat Castren. in Leg. unum ex familia §. Itaque sub num. 3. in fine, & §. Sed si uno sub num. 7. & §. Rogo num. 1. ff. de legat. 2. Cuman in eadem Leg. unum ex familia in prim. lectur. sub num. 1. Cujac paratit. tom. 4. oper. posth. lib. 31. tit. 1. super d. Leg. unum ex familia column. 1. vers. Deinde Paris. conf. 38. num. 5. tom. 3. Bero. consil. 23. num. 29. tom. 2.

In hanc verò sententiam procliviores fuerunt Domini, eo quod pro comperto habuere Portiam obsequendo voluntati viri, & Primogenituram condendo gessisse actum providum, & rationabilem, ut potè tendentem ad conservanda bona, pro familia splendore in personam unius Primogeniti, non omissa substitutione, & voca-

Decisiones noviss. ad Castellum de Alim.

tionem successiva aliorum fratrum; Immo se conformasse etiam voluntati Joannis Angeli Patris Jacobi, qui non minus ipsamet honorum unionem pro familiæ decore in votis habuit, in quo pariter consideratur favor Reipublicæ, cujus interest familias conservari, & augeri, ad tradita per Mier. de Major. part. 1. in præfat. num. 42. & quæst. 28. n. 9. Card. de Luc. disc. 10. n. 5. de Testam. & disc. 213. n. 12. de fideicom. Torr. var. quæst. par. 1. tit. 1. quæst. 13. n. 5. Præsertim quia Marchio Antonius Primogenitus sub fide istiusmodi nominationis matrimonium contraxit, ex eoque numerosam prolem suscepit, quapropter re in præsentiarum non amplius integra durius esset eum bonis primogenialibus exspoliare, ut ad rem dixit Rota decis. 744. num. 16. coram Burat. decis. 442. num. 8. coram Merlin. decis. 87. num. 46. & decis. 88. num. 48. in Mantissa ad Cardin. de Luc. lib. 10. de fideicom.

Et ita utraque, &c.

REVERENDISS. P. D. CORIO

ROMANA LUCRI DOTALIS.

Ven. 16. Junii 1724.

ARGUMENTUM.

Restitutionem totius & integræ dotis in capitulis matrimonialibus favore uxoris contentam importat renunciationem lucris dotalis debiti ex dispositione statuti a quipollentem expressæ ab eodem statuto designatæ tam ex parte Viri quàm ipsius Uxoris frustra in circumstantiis de quibus in casu ignorantiam allegantis.

SUMMARIUM.

- 1 Lucrum dotale renunciatum censetur mediante pacto restituendi totam & integram dotem.
- 2 Verba totam & integram dotem intelligenda sine diminutione lucris dotalis.
- 3 Trebellianicæ prohibitionem præ se fert præceptum restituendi totam & integram hæreditatem.
- 4 Verba prædicta æquivalent renunciationi expressæ à statuto requisita.
- 5 Lucris renunciatio per eadem verba inducitur intelligenda est tam respectu Viri, quàm Uxoris ratione correspondentiæ.
- 6 Lucro Mulier renunciare censetur, quæ omnilegum & statutorum auxilio renunciat.
- 7 Pacta superflue apposta non sunt censenda.
- 8 Nemo præsumitur gratis renunciare juri suo.
- 9 Intelligentia repugnans amplitudini verborum non admittenda.
- 10 Testis dignior, & verisimiliora dicens aliis est præferendus.
- 11 Error in Muliere quomodo excludatur Lucris mutua renunciatio inter conjuges donationem non sapit ibidem.
- 12 Lucris retentio incompatibilis est cum verbis totalitatem restitutionis dotis præ se ferentibus.
- 13 Uxor erroris specie non debet diversimode ac Viri judicari.